

S L E O D E G A R I V S M A R T Y R.



Sanctus Leodegarius optimis literis & morū sanctitate adeò excelluit, ut à Francis Hedorum praeful ordinatus fuerit. Hanc functionem magna diligentia & pietate administrait. propterea factum, ut reges Francorum sæpius hunc pium Episcopum suis consilijs adhibuerint. Cum autem Clotarius rex anno Christi sexcētesimo septuagesimo tertio esset mortuus, atq; filius eius Theodoricus in regno successisset, multæ turbæ per Galliam excitatæ sunt. Rex enim totus ignauiaæ deditus, Ebroinum quendam rebus præfecerat. qui magna tyrānide sacra & profana miscebat. Hoc cum S. Leodegario & alijs proceribus Francorum dispiceret, atq; regem & Ebroinum sui officij admonerent, ne forsitan Childerico regi Austrasiam, & Theodorici fratri tota regni administratio traderetur, Ebroinus hanc admonitionem ferre non poterat. Itaque locum & opportunitatem quærens, pium hunc praefulem per insidias aggressus interfici curauit. Verùm scelus illud non inultum mansit: nam proceres regem & prefectū officio depositos monasterijs incluserunt, atq; Chiladericum regem cōstituerunt. Paul. Aemil. Otto Frysl. lib.5. cap.7.